

qui non possunt iter interrumpere, propterea quod rhedarii publici, vel socii viae, sine quibus iter incommodis aut periculo non careret, sistere abnuunt.

3^o Excusantur, qui custodiunt gregem vel domum, aut qui cibos parare debent, aut similia necessaria peragere; si tamen plura fiant Sacra, omnes, quoad fieri potest, Missam successive audire debent. — S. Lig. n. 326.

4^o Excusantur matres et nutrices, quae neminem habent cui relinquunt parvulos, nec eos ad Ecclesiam ducere possunt sine magna adstantium perturbatione. Si sint duo coniuges tantum, alternis vicibus Sacro interesse convenienter poterunt. — S. Lig. ibid. (14).

5^o Excusantur saepe, qui ab Ecclesia longe distant, ita ut ad eam accedere sine magna difficultate praesertim hiemali tempore non possint.

6^o Excusantur famuli, si ministerium suum omittere non possint sine gravi detrimento domini, aut si ab eo prohibeantur, nec alium dominum facile invenire queant. Sedulo tamen curare debent, ut impedimenta removeant, si possint. — *Ita communiter.* — S. Lig. n. 327. — Reuter, n. 288.

352. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *Quaenam distantia excuset a Missa?*

Resp. Non potest absolute assignari, sed ex adiunctis personarum, locorum et temporum determinanda est. Regulariter autem excusat distantia trium milliarium, seu iter pedestre unius horae cum quadrante, atque etiam quid minus, si plueret aut ningeret, aut alia causa adesset. — S. Lig. n. 329.; *Hom. apost.* n. 41.

353. — **QUAER.** 2^o *An excusetur a Missa infirmus in dubio, utrum incommodum sit satis grave?*

Resp. In hoc casu standum est consilio medici, Superioris, Parochi, Confessarii, vel alterius viri prudentis. Imo potest infirmus etiam iudicio proprio acquiescere, si ita prudenter iudicet. Quid vero si, petito consilio, dubius adhuc remaneat? — Absolute ad Missam non tenetur, quia stante periculo gravis damni iudicandum est, matrem Ecclesiam non obligare. — *Ita valde probabiliter* ait S. Lig. n. 325. — In praxi satius est, ut dispensatio petatur, si facile peti possit.

(14) Addit S. Alphonsus (lib. 3. n. 330.): *Excusantur viduae ratione luctus, et etiam filiae et sorores.* Quoad temporis spatium addit, non extendendum usque ad mensem, cum S. Carolus mensem tantum permiserit. Subdit tamen, quod *si alia esset consuetudo in aliquo loco, non esset damnanda de peccato gravi.* Et

merito; nam si ratio excusandi est consuetudo, haec pari modo pro mense, ac pro longiori tempore valere debet. Illud unum obscurum est, cur excusationem restringat ad limites *peccati gravis*. Nam si vere viget eiusmodi consuetudo, non apparet, cur etiam a *culpa levi* non excuset.

QUAER. 3^o *An excuset occasio lucri notabilis faciendi?*

Resp. Affirm. probabiliter, quia praecepta Ecclesiae non obligant cum incommodo valde gravi, ut constat ex dictis in Tract. de Leg. n. 100. Sed huiusmodi lucrum extraordinarium esse debet. — S. Lig. n. 332. — Elbel, n. 368. — V. *Casus*, n. 347. et seq.

CAPUT II.

DE HIS QUAE DIEBUS DOMINICIS ET FESTIS PROHIBENTUR

Agendum 1^o de operibus diebus festis prohibitis; 2^o de causis ob quas aliquando licite exercentur.

ARTICULUS I. — DE OPERIBUS QUAE DIEBUS FESTIS PROHIBENTUR

354. — Triplicis generis opera distinguenda sunt: 1^o opera *servilia* seu corporis (1), quae a servis seu mercenariis fieri solent, 2^o opera *liberalia* seu animi, quae a personis liberis ordinarie exercentur; 3^o opera *communia* seu naturalia, quae ab omnibus indiscriminatim fiunt. Distinguuntur etiam opera *forensia*, quae ad forum iudiciale aut mercatum spectant. — S. Lig. n. 272.

355. **Principia.** — I. Prohibentur *per se* sub gravi omnibus fidelibus opera servilia proprie dicta diebus festis integris, id est, toto die naturali, de media nocte ad mediam noctem. Constat ex Iure canonico, c. 3. *de Feriis*, ex consuetudine et praxi perpetua Ecclesiae (2).

II. Prohibentur etiam opera forensia, nempe actiones forenses, quae cum apparatu iudicali habentur, ut partes interrogare, testes et advocatos audire, sententiam ferre, etc. Ita ex Iur. can. ibid. (3). Excipe tamen,

(1) Opera *corporis* intellige, quae et utilitati corporis serviunt, et corporis potius, quam animi viribus exercentur. Opera vero *animi*, quae potius animi viribus peraguntur, et ad animum potius excolendum pertinent. Quae tamen distinctio ad definiendum, *quid liceat aut non liceat*, non admodum confert. Hac enim in re plurimum deferri debet consuetudini, quae etiam fit, ut quae alicubi licite peraguntur, alibi nota et offensione non careant.

Interim illud generatim praestitui debet, rationem operis *servilis* nec ab intentione desumendam esse, nec a luero percepto, imo neque a corporis defatigatione. Ita servile erit arare alterius agrum, quamvis

ex mera charitate id fiat, et prorsus gratis; contra non erit servilis pulsatio organorum, aut saltatio, utut diuturna et laboriosa, aut transcriptio lucri causa per totum diem protracta.

(2) Ecclesia tamen, uti benigna mater, ut divinum cultum cum temporali fidelium utilitate conciliaret, subinde aliquibus locis indulget, ut quibusdam diebus festis post auditam Missam opera servilia exerceri possent. — Vid. S. Alphons. (lib. 3. n. 268.).

(3) Imo ex iure canonico (c. *Conquestus* 5. *De Feriis*) actus iudiciales habiti die festo declarantur irriti.

Excusat porro tum *necessitatis*, ut A. subdit, tum etiam *pietatis* causa. Neces-

si quando causa criminalis iam incepta interrumpi sine gravi incommodo vel damno nequeat. — S. Lig. n. 284.

III. Eodem iure prohibentur mercatus, nundinae, venditiones publicae, et alia similia, quae cum strepitu fiunt. Exeipiuntur tamen, ob consuetudinem generaliter receptam, nundinae ad certum diem constitutae, si in diem festum incidant. — Sic declaravit Benedict. XIV, Const. *Ab eo tempore*, etc. — Vide S. Lig. n. 286.

IV. Licita sunt opera *liberalia*, opera *communia*, et opera aliqua quae videntur *servilia*, sed requiruntur ad quotidianum usum, victum, necessitatem et dispositionem corporis, vestium, vel domus, ut coquere cibos, sternere lectos, verrere domum, et alia quae commode differri vel anticipari aut non possunt, aut non solent (4). Ita ex praxi communi et omnium sensu.

356. **Resolves.** — 1^o Prohibentur diebus festis opera ruralia, ut arare, terram effodere, serere, metere, vineas colere, etc. Item opera artium mechanicarum, v. gr. caementariae, ferrariae, lignariae, sartoriae, sutoriae, tectoriae, etc. Item pleraque opera, quae arti typographicae deserviunt. Exeipiunt probabiliter characterum collocationem. — Elbel, n. 401. — Laymann. — Sporer. — Tambur. — S. Lig. n. 282.

2^o Item non licet quaedam facere, quae levem laborem exigunt, et quae a Monialibus confici solent, v. gr. rosaria, scapularia, imagines

sitatis causae habentur: 1^o Si res vel actio tempore sit peritura; 2^o Quando debitor suspectus est de fuga, dilapidatione, vel deterioratione rei, super qua est conveniendus; 3^o Si partes litigantes, uti fere sunt pauperes et rusticani homines, aliis diebus sine notabili incommodo comparere aut in iudicium vocari nequeant; 4^o Si contra latrones sit procedendum, et periculum sit in mora (ex L. *Provinciarum* 10. c. *De Feriis*), ne sceleratorum (ut lex habet) differatur proditio consiliorum; 5^o Si delinquentem propter atrocitatem criminis, ad exemplum et terrorem aliorum, in magno populi concursu plecti publice interesset; 6^o Cum periculum est damni publici aut privati, spiritualis aut corporalis; quia huiusmodi damnum imponit necessitatem moralem; necessitas autem legem non habet.

Ratione autem *pietatis* et misericordiae diebus festis expediri possunt 1^o Causae

alimentorum, careeratorum, pupillorum, viduarum, pauperum et miserabilium; quia in operibus misericordiae dierum distinctio non est habenda, ut habet glossa ad cap. fin. h. t. V. *Pietas*; 2^o Quando alioqui, si causae cognitio differretur, pia causa pateretur incommodum; quia summa ratio est, quae pro Religione facit; 3^o Cum hoc exigit pietas et observantia erga patriam; 4^o Si causa sit matrimonialis, et periculum adsit incontinentiae, nisi diebus festis iudicetur de valore matrimonii, et impedimenti; 5^o Quolibet die feriato expediri possunt, quae pertinent ad pacem et concordiam; unde eodem tempore etiam transactiones et pacta fieri possunt. — Ita Schmalzgr. (lib. 2. tit. 9. n. 52-53.).

(4) Cavenda haec subtilis inquisitio, an in istiusmodi quidpiam forte anticipari vel differri queat; ne scilicet ad inanes iudaismi observantias declinemus.

cerae, flores artificiales, etc.; quia haec in usu communi inter opera servilia adnumerantur. Attamen cum isti labores et alii similes leviusculi sint, nec animum valde occupent, neque corpus admodum defatigent, iuxta plures permitti possunt, modo ultra duas horas non producantur. Similiter iidem DD. excusant ancillas, quae occupantur in decerpendis rosis, decorticandisque pomis, etiam seclusa urgenti necessitate. — Sic Elbel, n. 408., Bonacina, Filliuccius, etc. — Sed potius dicendum videtur in his operibus maius temporis spatium requiri, ut adsit culpa letalis. Ita opinatur S. Lig. n. 282. — Non sunt tamen de ulla culpa arguendi, qui in talibus occupationibus exiguo tempore vacant (5).

3^o Licite ex recepta consuetudine venduntur et emuntur in officinis publicis esculenta, poculenta, calceamenta, candelae, panni ad vestes conficiendas, et alia huiusmodi. Attamen mercatores debent officinas suas claudere (6), ut ostendant se diem Dominicum ab aliis diebus distinguere.

4^o Licite venduntur et emuntur domus, equi, boves aliaeque merces, sive praesentes, sive absentes, sive in parva, sive in magna quantitate, etiamsi in hoc notabile tempus impendatur, dummodo haec fiant inter privatos (7).

(5) Exempla hic habes opinionum, quas vix aut ne vix quidem ad communia ac recepta principia reduci posse, non immerito putes. Quid enim ad quaestionem *de opere servili* confert corporis defatigatio aut occupatio animi? Numquid quia levissime corpus defatigatur, et nihil occupatur animus inter nendum aut tibialia manibus texenda, opus dicitur minus servile? Insuper si opus servile non est, cur ad duas tantum horas permittitur? Si vero est servile, cur vacabit culpa in ipsum incumbere per duas horas? Melius ergo haec ratione consuetudinis explicantur, quae praxim praecepta servandi docet, imo et legitime statuit.

Quod vero ad scapularia seu rosaria attinet, aliud subintrat elementum, pietas nimirum, si gratis hi labores et mere ad pietatem fovendam suscipiantur. Qua in re consuetudo et fidelium sensus contradicit principio, quod supra tetigimus, nihil nempe referre, gratis ne quidpiam fiat, an lucri causa. Nam valet hic quod de sacris quoque vestibus aut quibusdam

Ecclesiae ornamentis die festo conficiendis ex fidelium sensu admitti debet, licere haec, si gratis et ad Dei honorem; non licere, si ab artifice pro mercede fiant. Et ratio est, quia in altero casu merum opus pietatis apparet, in altero nequaquam.

(6) In his quoque plurimum sibi vindicat consuetudo et varia pro variis locis necessitas, et exinde etiam variae necessitatibus loci congruae dioecesanæ leges.

(7) Praecepto non celebrandi contractus (qua de re S. Alphonsus, lib. 3. n. 286. innuit decretum S. Pii V, et Congr. Rit.) derogatum est consuetudine, ut bene advertit Schmalzgrueber (lib. 2. tit. 9. n. 23.). Imo notat S. Alphonsus (l. c.) ferre consuetudinem, ut contractus non modo private celebrentur, sed etiam per instrumenta dummodo non requirant strepitum iudiciale, v. gr. testamenta, instrumenta sponsalium, venditionum, etc., licet advertat, alicubi Notarios solere ad hoc generalem petere licentiam, quae ceterum communiter conceditur. Sed rursus etiam, in his spectandae erunt cuiusque loci consuetudines.

3^o Tolerantur etiam alicubi publicae venditiones sub hasta, post peracta divina Officia; quia aliis diebus pauciores essent concurrentes, etc. Toleratur itidem, ut mercatores rerum parvi momenti (gallice *petits merciers*) ex uno loco in alium merces deferant, ostendant et vendant. — Bouvier.

357. Quaesita. — QUAER. 1^o *An liceat scribere vel transcribere die festo?*

Resp. ad 1^{um} Affirm., quia hoc opus omnino liberale est, cum in eo praecipue animus agat. — *Ita omnes.*

Resp. ad 2^{um} Affirm., etiam *probabilius*, quia transcribere, sicut scribere, ordinatur ad mentem instruendam. — *Ita communiter* cum S. Lig. n. 279., contra Billuart et alios.

Hinc 1^o licet etiam exarare delineationes artificum et fabrorum, notas musicorum efformare. — Elbel, n. 400., et alii.

2^o Pariter fas est etiam libros corrigere, sive id fiat delendo lineas, sive superponatur charta conglutinata. Licet enim hoc servile videatur, accessorium tamen est, cum *per accidens* ab ipso corrigente fiat. — Elbel, n. 401., etc.

QUAER. 2^o *An liceat sculperere vel pingere?*

Resp. ad 1^{um} Neg. per se, quia sculptura inter artes mechanicas communiter habetur. — S. Lig. n. 281.; *Hom. apost.* n. 10. — *Probabiliter* tamen excipiendum, si de sola operis perfectione agitur.

Resp. ad 2^{um} Controvertitur.

I^a SENTENTIA *affirm.*, quia pictura est ars liberalis, vel saltem media inter liberales et serviles; est enim quid scriptioni simillimum: modo tamen pictura fiat sine magno labore, qualis haberetur colores miscendo, tabulas praeparando, etc. — Ita Laymann, Azor, Sporer, etc.

II^a SENTENTIA *neg.*, quia dici nequit actio liberalis, cum non dirigatur, ut scriptura, ad animum excolendum, et quia pingere fere idem est ac sculperere, quod opus servile est. — Ita Salmant., Sanchez, Suarez, etc. — Utamque sententiam merito *probabilem* dicit S. Lig. n. 280. (8).

358. — QUAER. 3^o *An imagines acu pingere liceat?*

Resp. Controvertitur. Excusant multi: id enim magis refertur ad exer-

(8) Probabilitatem primae sententiae *affirmantis* concedunt ultro etiam illi AA. qui negantem sequuti sunt: atque adeo certum est, non constare, id operis servile esse ac prohibitum.

Aliquid tamen in hoc quoque deferendum videtur sensui communi, qui con-

suetudinem, optimam legum interpretem, exhibet. Porro communis fidelium sensus dum non damnat generatim pingendi opus ut servile, abhorret tamen ab eo apparatus, qui mercenariam artificis operam, praesertim in parietibus quopiam, ut aiunt, ornato decorandis, praefert.

cendum ingenium, quam ad operandum. — S. Lig. n. 281. — Sporer, n. 45., etc.

QUAER. 4^o *An liceat venari et piscari?*

Resp. Affirm. Quia haec non sunt opera servilia, et consuetudine tolerantur, modo non fiant magno cum labore, conatu, strepitu vel apparatu. — S. Lig. n. 283., et alii *communiter* contra paucos.

QUAER. 5^o *An liceat iter agere pedibus, equo, curru?* — *Item an liceat ducere currum vel iumenta onusta?*

Resp. ad 1^{um} Affirm., ut ex praxi universali aperte constat. Sententia opposita relinquenda est ut antiquata, ait S. Lig. n. 275., post Roncaglia. Pariter licet uti lectica ab hominibus portata, ubi viget talis consuetudo. — S. Lig. *ibid.*

Resp. ad 2^{um} Controvertitur, extra casum necessitatis. Sententia nunc *probabilior affirmat* esse licitum, non solum ad iter inceptum continuandum, sed etiam ad illud inchoandum, dummodo ad currum onerandum ingens ac diuturnus labor non requiratur; a quo tamen labore facile excusat sive gravis damni vitandi, sive publicae utilitatis procurandae causa sive consuetudo, quae in contrarium alicubi forte invaluerit. — S. Lig. n. 276.

QUAER. 6^o *An liceat molere die festo?*

Resp. Affirm. probabilius, si mola volvatur aqua vel vento, quia parvus vel fere nullus hominum labor requiritur. Secus autem, si iumentis agatur nisi exigua sit hominis cooperatio. — S. Lig. n. 277. — Lacroix, n. 578. Tambur., etc.

359. QUAER. 7^o *An liceat tonsoribus die festivo barbam radere?*

Resp. Affirm. Ratio 1^o ex generali consuetudine deducitur (9), 2^o quia plerumque solis diebus festis opifices et praesertim rustici officinas petunt, ut barba eis radatur. Si igitur hi postulantibus operam non praerberent, magno ipsorum detrimento derelinquerentur. — Ita Viva, Tamburinus, Gousset, Bouvier, etc.

QUAER. 8^o *Quaenam materia sit gravis in opere diebus festis peracto?*

Resp. Requiritur multi saltem tres horas. S. Lig. n. 305., pluribus sententiis allatis, magis accedit sententiae Lacroix generaliter concludentis,

(9) Non omittendum hic, quod S. Alphonsus (lib. 3. n. 290.) habet de hisce consuetudinibus. *Notandum* (inquit) *circa consuetudinem id quod dicit Viva, scilicet, quod ad excusandum sufficit probabilis consuetudo; sufficit enim, ut dicunt Salmanticenses cum Salas, Granad. etc. dictum unius doctoris eximii,*

etiam moderni, qui consuetudinem afferat. Bene autem advertit Mazzotta, quod in dubio de consuetudine possidet praeceptum, unde petenda est dispensatio; secus, si probabile sit adesse consuetudinem. Hoc loco igitur videtur discedere a principio illo, quod dicunt possessionis.

quod communior et probabilior nunc est sententia, non esse mortale, nisi laboretur saltem multum ultra duas, puta duas horas cum dimidio. — Et *Hom. Apost.* n. 25., addit cum Mazzotta, excusari etiam maius temporis spatium ex aliqua necessitate. Addit n. 307., in forensibus et iudicialibus materiae quantitatem desumi non ex quantitate temporis, sed ex qualitate operis.

QUAER. 9^o *An peccet graviter, qui die festo mandat sex famulis, ut laborent per horam?*

Resp. Neg. probabilius per se, sive famuli laborent simul, sive successive, quia opera famulorum non uniuntur in unum, et singuli tantum venialiter peccant; ergo venialiter tantum peccat dominus eos ad opus inducens sub veniali culpa vetitum. — S. Lig. n. 306., et alii communius.

ARTICULUS II. — DE CAUSIS OB QUAS OPERA SERVILIA DIE FESTO PERMITTI POSSUNT.

Tres praecipuae numerantur, scilicet charitas, pietas, necessitas.

360. — I. *Charitas erga proximum.* Hinc licet die festo 1^o facere quod est necessarium ad infirmos sublevandos; 2^o fodere sepulturam ad mortuum sepeliendum; 3^o laborare pro aliquo paupere determinato, cui ratione gravis necessitatis laborare liceret (10), non tamen iuxta graves theologos pro pauperibus in genere, nisi agatur de conficiendis vestibus aut aliis eiusmodi, quae usui pauperum deservire debent, non vero ad lucrandam pecuniam, quae pauperibus erogetur (11). — S. Lig. n. 294., *Hom. Apost.* n. 17.

II. *Pietas erga Deum.* Licet ob pietatem 1^o facere omnia opera proxime ad cultum Dei inservientia, ut ornare templum, altare, etc.; 2^o verere Ecclesiam, aliaque praeparare quae ad eius munditiam pertinent. Non autem licet Ecclesiam aedificare, reparare, lapides ad hoc secare,

(10) Ita, v. gr. cum pauperi liceat pannos sibi resarcire aut eos purgare, licebit et aliis haec illi servitia gratis exhibere.

(11) Hac distinctione conciliantur DD. specie tenus dissidentes, quasi (Vid. S. Alph. lib. 3. n. 293.) ad quaedam pro pauperibus opera suscipienda quidam exigant *extremam* aut certe *gravem* pauperis necessitatem, alii vero *communem* sufficere censeant. Hi scilicet de rebus v. gr. pannis in eorum usum concedendis agunt; illi vero de conficiendo opere,

cuius merces iis in eleemosynam tribuitur. Proinde minus ad rem S. Alphonsus (l. c.) ad quaestionem, *An diebus festis liceat conficere vestes pro pauperibus* scribit: *Dicunt Viva, Tamburini, Sporer, Roncaglia et Salmanticenses, tunc solum licitum esse laborare, cum pauper actu graviter indiget.* Sed isti DD. non de veste conficienda aut resarcienda pro paupere quaestionem faciunt, sed de eo, qui laboret, ut ex lucro deinde eleemosynam eroget.

ornamenta facere, etc.; quia haec remotius ad servitium divinum inserviunt. — S. Lig. n. 292.-293.; *Hom. Apost.* n. 17. (12).

361. — III. *Necessitas*, sive propria, sive aliena, tum animae, tum corporis. Hinc.

1^o Excusantur pauperes, qui aliter se suosque alere non possint, modo privatim, et secluso scandalo laborent.

2^o Excusantur omnes, quorum opera incepta interrumpi nequeunt sine magno damno, ut fundentes ferrum, etc.

3^o Excusantur pariter pistores, qui panem recentem habere debent, ut ementibus satisfaciant.

4^o Item sartores, qui conficiunt vestes funebres aut nuptiales, quas neque per se neque per alios ante festum perficere valent.

5^o Item agricolae, qui ob praeteritam, aut imminetentem pluviam foenum vel segetes vertunt, ligant, vehunt.

6^o Item famuli ad laborandum coacti, si alium dominum facile et cito invenire sine magno incommodo non possint.

7^o Excusantur fabri ferrarii, qui equos in via vel a rusticanis adductos calceant, aut vomeres agricolis die sequenti necessarios reducunt; necnon ii qui currus casu fractos, pontes aut vias publicas reficiunt, si opus sine iactura boni publici differri nequeat.

8^o Excusantur etiam ii, qui laborant ad utilitatem publicam urgente aliqua necessitate, v. gr. si agatur de celebranda victoria, de festo praeparando in Principis adventum, aut alterius publicae exultationis gratia.

9^o Excusantur quoque probabiliter illi, qui laborant ob *lucris notabilis et extraordinarii* circumstantiam, quia pro istis tale lucrum omittere idem est ac damnum grave pati (13). — S. Lig. *quoad, omnia*, a n. 296. ad n. 304.

(12) Prioris generis operibus S. Alphonsus ex aliorum sententia, quam sine nota refert (lib. 3. n. 293.) accessent etiam conficere ornamenta pro Ecclesia *indigente*, quae nempe ad haec pares redditus non habet, uti, v. gr. sericos flores componere, tapetes, mappas, purificatoria, corporalia, planetas et alia eiusmodi consuere, etc.

Quoad posteriora vero licet probabilior rem censeat opinionem, quae licere haec negat, admittit tamen (l. c.) licitos eiusmodi labores, si ecclesia pauper sit. Tum ex Salmanticensium aliorumque sententia subdit: *Quia fere ecclesiae et mona-*

steria his temporibus egestate laborant, idcirco pro his et pro hospitalibus, confraternitatibus et similibus posse homines licite laborare, templa extruendo, segetes metendo, agros colendo etc.

Duo tamen quoad praxim adverte: 1^o reipsa non solere hos labores suscipi, nisi cum loca pia vere paupertate laborant; 2^o facultatem ab Ordinario peti consuevisse etiam ad scandalum populi vitandum.

(13) Ratio ex S. Alphonso (lib. 3. n. 301.) est, quia *illi, qui laboribus se sustentant, raras habent occasiones talis magni lucri acquirendi, et existimant magnum damnum sustinere*

Licet autem quotquot hucusque enumerati sunt, dispensatione non indigeant; suadendum tamen fidelibus est, ut si commode possint, veniam a Superiore ecclesiastico postulent, ne scilicet cupiditate decepti absque sufficienti ad excusandum causa cum aliorum scandalo laborent. Superior autem hic intelligitur praesertim Episcopus; qui licet generalem pro subditis omnibus dispensationem tribuere non possit, multoque minus permanentem (quippe id suppressioni festorum aequivaleret); at quoad aliquos actus cum particularibus personis ex rationabili causa dispensare potest; immo hanc facultatem etiam parochi consuetudo concedit.

10° Non autem excusandi, imo severe redarguendi sunt, qui saepius post mediam noctem inceptum laborem in diem festum etiam praetextu necessitatis protrahunt; quia plerumque illa necessitas ipsis voluntaria est, cum saepissime in eam se coniiciant, vel plura assumendo opera ad certum diem perficienda, quam quae explere possint, vel non adhibendo eum operariorum numerum, quem opus requireret, vel intra hebdomadam rebus inutilibus tempus terendo. Facilius illos excusares, quibus traditum die praecedenti fuisset opus perficiendum in diem festum sequentem.

362. — QUAER. *An excuset otii vitandi ratio?*

Resp. Neg., communiter loquendo. Etenim ratio ista prorsus insufficientis est ad legem Ecclesiae adeo gravem posthabendam. Excipiunt Laymann, Mazzotta, etc., si otium probabile peccandi periculum inducat; quia (aiunt) si excusat periculum damni temporalis, a fortiori periculum damni spiritualis excusare debet. Sed hoc S. Alphonsus (n. 362.) libentius restringit ad casum, in quo urgeret tentatio, quae aliter vinci non posset, quod raro accidit. — V. *Casus*, n. 354. et seq.

DE IV. DECALOGI PRAECEPTO

Honora patrem tuum et matrem tuam. Exod.. 20. 12.

Hoc praeceptum *primario* et *directe* respicit obligationes filiorum erga parentes; *secundario* autem et *implicite* spectat obligationes parentum erga filios, necnon obligationes mutuas aliorum Superiorum, atque inferiorum.

CAPUT I.

DE OBLIGATIONIBUS FILIORUM ERGA PARENTES

363. — Filii erga parentes specialissima obstringuntur obligatione. Tria autem officia parentibus a filiis exhibenda sunt titulo pietatis, amor

quando magnum lucrum admittunt; | tere et prohiberi acquirere, quod am-
in idem enim coincidunt, aliquid amit- | *plius acquiri non potest.*

videlicet, reverentia et obedientia (1). Triplicem enim respectum habent parentes erga filios, nempe ratione causae, ratione praeeminentiae, et ratione regiminis. Consequenter filii eos amare debent ut suae existentiae auctores, revereri ut Superiores, eisque tamquam rectoribus a Deo legatis obedire.

I. Amor.

Filii parentes amare debent amore tum *interno*, ipsos pio et benevolenti affectu prosequentes; tum *externo*, omne malum et iniuriam notabilem ab ipsis propulsantes, necnon externae benevolentiae signa eis exhibentes, iisque in necessitate constitutis pro facultate subvenientes. Constat ex iure naturali. Quamvis igitur genitores nostri defectus quantumvis graves habeant, et quovis modo erga nos se gesserint, eis tamen debemus vitam et conservationem, quod omnium sane beneficiorum maximum est. Hinc *Eccli.* 7. 29. 30.: *Honora patrem tuum, et gemitus matris tuae ne obliviscaris. Memento quoniam nisi per illos natus non fuisses; et retribue illis, quomodo et illi tibi.*

364. **Resolves.** — 1° Peccant graviter filii contra virtutem pietatis, si parentes interius odio habeant, exterius signa odii ipsis exhibeant; si eos aspere tractent, vel torvis oculis intueantur, perinde ac si odio haberent.

2° A fortiori, si malum eis exoptent, et ipsam mortem, ut liberius vivere, vel hereditate eorum potiri possint, vel ut cura et custodia eorum liberentur; si ipsis coram aliis graviter detrahant; si vi, dolo aliisve iniustus mediis a condendo testamento illos impediunt, etc.

3° Item, si eos ad iram provocent, et gravem tristitiam absque iusta et gravi causa ipsis afferant, praesertim si eos contristent usque ad lacrymas. Sic enim in *Prov.* 19. 26.: *Qui affligit patrem et fugat matrem, ignominiosus est et infelix.* Et *Eccli.* 3. 18.: *Est maledictus a Deo, qui exasperat matrem.*

4° Si parentibus graviter indigentibus alimenta et alia necessaria non subministrent, cogentes eos ad mendicandum aut ad exercendam artem ipsorum statui indecoram; si eos infirmos, afflictos aut senio confectos non visitent, vel eis non compatiantur, opemque illis ferre renuant;

(1) Amor, obedientia et obsequium seu reverentia, quae aliis hominibus debentur ex virtute *charitatis*, vel *observantiae* etc. prouti parentibus exhibentur, pertinent ad aliam virtutem; quia eiusmodi officia specialiter illis debentur tamquam vitae et educationis nostrae post Deum auctoribus adeoque adaequatio huius debiti pertinet ad specialem virtutem quae *pietas* dicitur; quae tamen pietas erga parentes differt a pietate erga Deum, quae consistit in studio interioris devotionis, et ad virtutem *Religionis* pertinet. Vid. S. Thom. (2. 2. q. 101. art. 1. et 3. et q. 102. art. 1.).